

continenti solvenda[m] procuratori comunis sine proclamatione excusarum, et satisfiat domino vini vel tabernario, etiam pena decem sold. par. ¶ Et euntes in tabernam ad bibendum solvere teneantur tabernariis antequam accipiant vinum, etiam pena predicta. ¶ Insuper statuimus quod per dominium Tergesti fiat una mensura, cuius mesure centum et viginti fiant unam urnam vini, et unam aliam mensuram mediam ex ipsa mensura; et quelibet persona que deinceps vendere voluerit vinum ad minutum in taberna in civitate Tergesti, vel per unum miliare extra civitatem Tergesti, vendere debeat cum dicta mensura vel media mensura, sive habere formam dictarum mensurarum. ¶ Et talis persona vendere volens vinum vendere debeat cum dictis mensuris usque ad summam libr. sex par. pro urna et non ultra, et qui contrafecerit cadat ad penam vigintiquinque libr. par. pro quolibet et vice qualibet contrafacta; et vendere possit dictam magnam mensuram usque ad par. duodecim et non ultra, et sic mediam mensuram pro rata, scilicet pro par. sex et non ultra, etiam sub pena vigintiquinque libr. par. pro quolibet et vice qualibet contrafacta. ¶ Et a(d) dictis sex libr. par. inferius quelibet persona ven- // dere volens vinum in taberna vendere possit ad suum libitum et ponere dictam mensuram a dictis duodecim par. inferius, videlicet ad par. undecim, decem, .VIII., .VIII., .VII., .VI., et sic usque ad unum, prout sibi placuerit, et sic media[m] mensura[m] pro rata magne mesure. ¶ Et ipsa talis persona vendere volens vinum in taberna comparere debeat ad presentiam domini potestatis vel eius vicarii sive militis, et eis denuntiare quod vult vendere vinum cum dictis mensuris, et ei declarare precium mesure pro quo vendere vult, ac etiam denuntiare predicta iustitiariis comunis et facere scribi a notario maleficii, ac ¹⁾ etiam proclamari facere super scalis palatii comunis de predictis per preconem comunis, cum ipsum vinum aperire voluerit, et hoc antequam dictum vinum aperiat, et hoc sub pena decem libr. par. pro quolibet et vice qualibet contrafacta. ¶ Qui notarius maleficii habeat unum

¹⁾ ac - palatii aggiunta marginale.